

**ea** semper responsa dedimus , quibus nos promptos paratosque declaravimus pro pace Ecclesiæ Gallicanæ , quam sincerâ & constanti dilectione prosequimur , quidquid nobis vitæ superesse posset , libenter impendere , at quo omnia quæ nobis agenda proponerentur , & aggredi & urgere , dummodò ejusmodi Consilia essent quæ ad avertendum malorum germen apta & idonea dignoscerentur , & quorum executio cum spe prosperi eventus suscipienda , & ad in tantum fine in utiliter processura viderentur.

Gravem atque diutinam de rebus vestris sollicitudinem quâ hactenùs affecti fuimus , non parum sublevârunt Litteræ è Gallicani Cleri Comitiis die XXI. Octobris elapsi anni ad nos scriptæ , quas quidem legentes , vestram , venerabiles Fratres , firmitatem atque constantiam perspeximus , consensionem in custodiendo veræ sanæque Doctrinæ deposito , & in retinenda quam semper Majores vestri professi sunt erga Apostolicam B. P. Sedem , Catholicæ unitatis centrum observantiâ & veneratione : neque ullam inter vos dissentionem vigere comperimus quoad Canonicas Regulas & principia , sed scissuras tantummodo esse inter vos in diligendis statuendisque mediis , quibus utendum necessarium est , ut eadem communia principia in usum deducantur : quod quamvis optandum fuisset longè abesse à Conventu vestro , haud tamen mitum videri debet scientibus id alias inter sacros Antistites & Doctrinâ & morum sanctitate conspicuos , in gravissimum rerum tractatione evenisse : in magnam autem præconceptæ consolationis nostræ accessionem fese obtulerunt eximiae Christianissimi Regis pietas & religio , cum hæreditario ipsius in hanc Apostolicam